




El progreso de la ciencia
y la Arte

Duplicato

1885 - leg. 24
P. 32

ORATIO

IN AUGURATIONE STUDIORUM

Universitatis Vallisoletanae

HABITA

A D. D. D. Laurentio Arrazola,

Philosophiae, et Oratoriae professore.

PRIDIE KALEND. DECEMB. ANN. DOM. M.D.CCC.XXXVI.



VALLISOLETI APUD APARICIO.

HTCA

U/Bc LEG 24-3 n°1885



UVA. BHSC. LEG 2403 0°1885 5 5 8 1 1

Venit tempus, Clarissimi Viri, praestita, optataque dies, et hoc dignissimo, solitoque apparatu, Scientiarum pandimus arcem. Venit tempus, et prout vestra sollicitudo, ac diligentia est, digni, et optimi magistri, prompti estis, atque parati. Sed ; Carissimi! ; mi intimi socij, et consodales! ; Nonne paramus diligentiam inanem? Bellum intestinum, ac domesticum, dirum, horribile, infandum, vastat populos, atque provincias: undique flammae, ferrum, strages, mors: hic furor, illic rabies, planctus undique, ira, et discordia exardet. Quos olim alumnos, quasi paterna dilectione, ac sollicitudine nobis devinciebamus: quos juvenes has aulas avidos, strenuos, frequentantes vidimus; hosmet, aut patrio amore inflammatos; aut rabido furore abreptos; fato, aut :

errori cedentes, in fraterna strage, inter strepitus, et horrores, aut trucidantur, aut trucidant. ; Quot jam terram, patriam hanc terram, tantis infensissimam, et antehac omnibus carissimam, mordent! ! *Bilbao!* ; *Almaden!* ; *Vallis borundensis!* ; *Heredia!*... Et ut infandum belli civilis pignus, et fructus, horrendumque exemplum ; *Barcinum!*... ; *Malaca!* ; *Matritum!*... Sed à tanto funere, et luctu oculos avertamus.

Ats hoc genere mali, teterrima hac, et dira calamitate undique saeviente, ; nonne juvenes, iterum dicam, de more hos in lyceos concurrent? ; Nonne huic incoepto muneri mente tranquilla vacabimus? Monstrum illud, bellum, nec victum, nec benè cinctum catenis ; nonne apud nos caput horridum extollet, suove foedissimo, cruentoque ore bramabit? Absit: et ad rem impavidi, strenuique viri, animum convertamus.

Pauca sunt necessaria, si non nisi de lenta, et mediocri diligentia, si non nisi de trito terendo agitur, ut gravissimum magistrorum munus adimpleamus. Sed si de

continuo in discendo, atque docendo, progressu, si de novo aliquo quotidie tentando agitur; quot lucubrationes, quot vigiliae, assiduus, immanisque labor! Sed quomodocumque sit, Magistrum publicum, qui, attempta Scientiarum simplificatione, atque progressu, tum et communibus caeterarum Nationum, et nostri hujus hispani regni peculiaribus circumstantijs; tum demum et tendentiâ seclî, non nisi solita, ac medioeria peragit, nulloque speciali conatu, aut exitu conspicuus evadit, muneri suo non satisfacit, omninoque inexcusabilis reputabitur.

Et herclê, Viri optimi, atque clarissimi: fuit tempus, quum Scientiae velut umbra-tissima silva, ipsaeve tamquam in quodam primitivo, atque communi involucro latentes, animadverterentur. Sed et Scientiarum dies irradiavit. Inventa est clavi aurea, clavi *baconia*, et fulgentissimo, tum analysis, tum criticae lumine, tamquam in vasta solitudine, et caliginosa confusione, accenso, omnia, velut ex sinu ipso Naturae, ex caös illo primitivo novò surgentia, clara, et dis-

tincta apparuere. Quae cum negare nemo audeat ; quomodo, Viri amplissimi, in hoc nostro gravissimo, ac praestantissimo magistrorum munere ob non nisi lentam, aut mediocrem diligentiam, nullis conspicuis, aut tentaminibus, aut progressibus, facile excusari possimus? Praeclaras, igitur, agamus gratias inventoribus illis, ut ita dicam, Scientiarum, Newtoni, Baconi, Loke, tantisque alijs, qui cum Scientias aut creâs- sent, aut perfecerint, viam nobis apperuerunt. Nos jam non nisi secundariam laudem reportabimus. Laborandum est, igitur, ut et primam, si fas fuerit, reportemus.

Praeterea: nos nulla vi, aut coactione; sed sponté, ultró tantum in opus devenimus: nihil est quod ommittere, aut non tentare debéamus. Parvipenditur, utique, publicum magisterium, aut saltem nec mimis, nec satis aestimatur. Sed adhuc dicam, atque repetam, ultró nos huic publico, tantoque ministerio sacrabimus. Verti fortasse potest, quin et revera vertitur in culpam populorum rectoribus, ac gubernantibus; nulla tamen inde magistris excussatio.

Inventa, inquam, clavi aurea, analysi, nempe, et criticâ, experienciâ, ac observatione fascem, si ita loqui licet, ad omnia praeferentibus, ; quod opinionis monstra, phantasmata imaginationis disparuerunt! Novae inde Scientiae, nova, et accuratiora praecepta, novae, mirificaeque Artes. Chimia, et Oeconomia scientiae sunt ferè novò creatae, ne quid dicam de Physica, Geographia, Geologia, Nautica, plurimisque alijs. Experienciâ, et observatione, analysi, sagacissimaeque indagine Naturâ passim oppressa, sua arcana patefecit, et affinitates, attractiones, Electrologia, Pyrologia, Gasologia, Cristallographia, Optica etiam, ne de alijs innumeris mentionem faciam, quasi novam Naturam, novam Philosophiam constituerunt. ; Queis ex inde, atque etiam novis imaginibus, queis incitamentis, atque etiam illusionibus jucundissimis, mens non sollicitatur, et calet, quod quidem, non tantum ex parte discentium, verum etiam docentium aptissima, simulque et utilissima est dispositio!

Mente humana accuratissimis, atque

etiam novis principiis, regulis, methodo instructa, editae etiam sunt bonae institutiones, libri elementales sunt exarati, qui, cum prima Scientiarum rudimenta exiguo volumine, atque omni farragine excussa, elementa contineant, fastidium remonent, miramque facilitatem praebent, atque conciliant. Quo peracto ; quae est, amabò, docentium difficultas? ; Qui, igitur, discen-
tium labor?

Novus etiam orbis fortunae, audaciae, mortalium speculationi concessus, ex quo vix decennium; quin biennium, forsitan vix annus intercedit, quin insulae, continentes, mundi alteri, et alteri novò nuntientur: et hinc ; quae desideria, quae spes, totiusque generis incitamenta, ac stimuli, mentes hominum non invadunt? ; Quot Nationes! quot gentes antea incognitae! ; quot mirae, variatissimaeque animantium species! ; quot plantae, mores, habitus, errores, monstra! Novum coelum, nova terra, lacus, maria, flumina nova! ; Nonne vos, Viri sapientissimi, vel sola horum narratione, jucundissima quadam voluptate perfunditis?

¿ Vosmet, vel nuda novi orbis, mundi novi, et virginalis enuntiatione inflammare non sentitis? ¿ Quis nunc, aut Geographiam, ut vos omnes, non mavult didicisse, aut ipsam in posterum ad ungües percallendam non ardet? ¿ Quid verò, si de juvenum imaginatione loqui velimus, cum nihil ad ipsam perciendam, ac inflammandam ita proprium sit, ut quidquid mirum et novum sese offert, quidquid narratiunculæ, aut fabulae speciem praeferre videtur? Si autem ad Scientias oculos convertamus, Astronomia, Nautica, Geographia, Historia naturalis; quin etiam, clarissimi Viri, et ipsa Historia generalis ¿ quos pinguiores fructus inde non reportârunt?

Etiam imperviae ¿ incredibile dictu! aetherae regiones, non nisi volatilibus aptae, et destinatae creditae, mortalium audaciae concesserunt, et suos habet aër remigatores!.....

Quod Artes attinet ¿ nonne suum mirum, validioremque concursum, communi huic hominum desiderio, secretoque, ac ferè ineluctabili seculi impulsui, avidae recussâ-

runt? Quot apparatus, paucis abhinc annis, quot instrumenta, quot machinae, quorum existentiam, ne dicam possibilitatem, majores nostri, atque Magistri, nec suspicari quidem potuerunt!.....

Quod Nationum, seu populorum statum spectat, si de re scientifica agitur, uno vinculo sociantur, uno, communique vehiculo communicantur. Vix est quò industria, commercium, bellum: audacia etiam, coloniae, exulatio, seu commigratio; tristissima illa commigratio, quae à discordia civium; nec paucis abhinc annis! tot miseros errare coegit: vix denique quò amor ipse hominum, qui philanthropia nuncupatur, non penetraverit. Leguntur linguae, noscuntur mores, narrantur, aut historiae, aut fabulae.....sed ¿quid tanta, clarissimi Viri? Nec polum, nec aequatorem, nec Sinas, nec Japonem, nec celandicam terram, nec Canadà, Andium apices, aut Hymmalajas ignoramus.

Devenimus tandem ad nostram, semper laudatam, rarò felicem, diu vexatam Hispaniam. Unum certum, indubitatumque est,

nos caeteros cultiores populos, neque in Scientiis, neque in Artibus nondum anteire. Quae aptior, quae oportunior, et dignior esse potest occasio, ut progressus, et tententur, et fiant?

Vultis et libertatem, non eam efrenem libertatem, quae facile cum licentia confunditur; sed de qua benè docta sensit antiquitas, non toto venire pro auro? Etiam libertatem habetis. Potestis inquirere, ragüere, increpare, docere: quidquid decus, aut pudor, lex, aut Religio non vetat, id omne potestis. Potestis; inquam, possumussed quid non potest, qui et vult, et publici suscepti muneris dignitatem agnoscit? Quid scienti, efficaciterque volenti, patriam, et honorem, rempublicam, et societatem, propriumque decus, ob oculos habenti, refusatur?

Nôstis et juventam quasi secreta, atque communi Naturae inspiratione, aut impulsu aetatem anteire, et mira docilitate, aut saltem non indeflêxa resistentia, in nova, et varia utilissimâ quadam aviditate trahi. Quid, igitur, expetebimus amplius? Non

deest Reipublicae consilium, eximius romanorum ajebat orator, neque auctoritas hujus ordinis, sed nos, nos, dico apertè, Consules dessumus. Non deest, Clarissimi, sapientissimique Viri, non deest oportunitas, modus, occasio: sunt machinae, instrumenta, totius generis auxilia: sunt libri elementales, aptiores institutiones, et quoad quisque bonus apetere potest, libertas: est decus in re, commendatio, fama.....; Nosne tantum muneri, ac oportunitati deerimus?..... Absit. Vos omnes hucusque praeclarum vestrî, vestraeque Scientiae, et vel efficacioris voluntatis testimonium praebuistis: vos et amplissimum in posterum, si fas fuerit, praebuetis. Fâxit.

UVA. BHSC. LEG 24-3 n°1885

